



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Syntaxis Historiæ Evangelicæ

Cope, Alan

Lovanii, M.D.LXXII.

8. Christus in Bethlehe[m] nascitur, pastoribus per Angelos reuelatur, & octauo post ortum die circunciditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47925)

<p>est. pariet autem filium: &amp; vocabis nomen eius Iesum. ipse enim saluum faciet populū suum à peccatis eorū. (Hoc aut totū factū est, vt adimpleretur quod dictū est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit, &amp; pariet filiū: &amp; vocabūt nomē eius Emmanuel, quod est interpretatū Nobiscū Deus.) Exurgens aut Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, &amp; accepit coniugem suā. Et nō cognoscebat eam donec peperit filiū suū primogenitum: &amp; vocauit nomen eius Iesum. *9.</p>	<p>S. Marcus.</p>	<p>S. Lucas.</p>	<p>S. Iohannes.</p>
---	-------------------	------------------	---------------------

CAP. 3. Christus In Beth-léhem nascitur, pastoribus per Angelos reuelatur, & octauo post ortum die circumciditur. Luc. Cap. 2. \* 5.

<p>S. Mattheus.</p>	<p>S. Marcus.</p>	<p>S. Lucas.</p> <p><b>F</b>ACTUM est aut, in diebus illis exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præfide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit aut &amp; Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Beth-léhem: eò quòd esset de domo &amp; familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleri sunt dies vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, &amp; pannis eum inuoluit, &amp; reclinauit eū in præsepio: quia nō erat eis locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, &amp; custodien-</p>	<p>S. Iohannes.</p>
---------------------	-------------------	---	---------------------

S. Matthæus' S. Marcus.

S. Lucas.

S. Iohannes.

diētes vigiliās noctis super gregē suū.  
 Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus, Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudiū magnū, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum, Inuenietis infantem pānis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo: & in terra pax hominibus bonę voluntatis. Et factum est vt discesserunt ab eis angeli in cælum, pastores loquebantur adinui-cem: Franseamus vsque Beth-lehem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierūt, mirati sunt, & de his quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierāt, & viderant sicut dictum est ad illos. Et postquā consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatū est ab angelo prius quā in vtero conciperetur. \* 10.

B 2

CAP. 9.